S. Pater abest his diebus octo iam, ego duxi
duxi Barbaram ultimam meam, Confessus sum primum
Jano nostro Vrsin, mox D. Doctori Engelhardo alijsque
quibusdam, qui intercessionem promiserunt cum pater redierit.
Mater perpetuis lachrymis sese irrigat, modesta est in
me commonitione omnium calamitosissimum si pater eisdem
modis me tractari perget, et illa suo more vivet, Conradum
in his regionibus postremum videris. O mi Vadiane si scias
quod vix moror apud me cognoscentes quod sim omnibus aerumnis
expositus, quod nusquam fides sit si ego admonear. Statueram
exilium eligere nisi canities parentis avocasset a proposito
In his itaque rebus duo haec vota mea sunt ut extreme
indigeantur ut parentes exuant, parentes mei, atque
proscribant quo velint, Foelix non potero esse ex aliqua
parte si haec non fiunt, Adesto meum solatium mi Vadiane
ut Conradum tuum vel solatio iuves, ne meipsum vel
exilio ~~et~~ vel mentulae exectione puniam, Adesto ut
ocellos meos a continuis lachrymis, cor ab incessabilibus
calamitatibus liberes aliquandiu. Curam infinita,
Pomponios quattuor ab Andrea Cratandro ut peto missos
cui tradam nescio, Perplacent, gaudebis credo ubi acceperis,
Cum ipse offers munusculum omnium quotquot agunt charissime.
Veni cum sorore, adsunt Vrsulae Dorothea et Margaretha
nemo est qui vos non expectet praesertim ex nostris, Ibimus
ad Erasmum. Vale foelicissime vi Februarij
Anno 1522.

C. Grebelius nisi venias
Vadiani Perduellio

D. Doctori Ioachi(m)o
Vadiano viro undecu(m)q(ue)
clarissimo, affini cha-
rissimo.